

resistere, et commode debitas decimas persolvere, partes nostras interponere dignemur, vt in exigendis huiusmodi decimis, et presertim in solucione capeciarum Millii aliquod illis alleuiamen fieret. Nos autem supplicationibus prefatorum Nobilium et incolarum tocus Regni nostri Sclauonie benigne exauditis, cupientes necessitati et grauedini ipsorum in hac parte consulere, eosque in hac condicione temporis inter tot eorum molestias, quibus urgentur, cum aliquali etiam ipsius domini Osualdi Episcopi et Ecclesie sue grauamina aliquantulum in hoc onere ad tempus releuare, et presertim pro quietiori ambarum partium statu, commiseramus fidelibus nostris Reuerendissimo, Reuerendisque in Christo Patribus dominis Gabrieli Colocensis et Baciensis Ecclesiarum canonice vnitarum Archiepiscopo, alteri Gabrieli Alben Transyluaniensis, Sigismundo electo et confirmato Quinqueecclesiensis, Alberto Vesprimiensis et Johanni Csanadiensis Ecclesiarum Episcopis; item Magnificis Emerico de Zapolya Comiti perpetuo terre Scepusiensis, Comiti Stephano de Bathor Judici Curie nostre Regie, Johanni Ernsth Thesaurario nostro et Bano Regni Sclauonie, et Emerico de Palocz Agazonum nostrorum Regalium Magistro, vt nomine nostro cum prefato domino Osualdo Episcopo Zagrabiensi super his tractarent disponentque, vt consideratis necessitatibus prefati Regni nostri ipse dominus Episcopus pro mutua eorum pace in solucione prefatarum decimarum aliquam illis faceret alleuiacionem. Qui quidem Prelati et Barones memorati ad nostram Maiestatem accedentes, presentibus eciam partibus antefatis, retulerunt, prefatum dominum Osualdum Episcopum Nobilesque prefatos in persona tocus Regni nostri Sclauonie deputatos ad talem intelligenciam, concordiam siue disposicionem reduxisse, quod quamuis ipsi vniuersi incole tocus Regni nostri prefati inter alias res decimales de singulis capeciis Millii sex denarios iuxta antiquam diuorum Regum et etiam nostram limitationem prefato domino Osualdo Episcopo et Ecclesie sue de iure soluere deberent, tamen deinceps pro singulis capeciis Milliorum quatuor denarios tantummodo soluere teneantur. In aliis autem solucionibus rerum decimalium antiqua Priuilegia dicte Ecclesie iuxta limitationem diuorum Regum et nostram omnino obseruentur. Interpositis etiam condicionibus infra memorandis, primo, quod per istam intelligenciam, disposicionem siue concordiam antiquis iuribus ipsius Ecclesie Zagrabiensis et etiam partis alterius, nec non limitationibus diuorum Regum et etiam nostris non preiudicetur. Quodque huiusmodi dispositio in intelligencia siue concordia viuente duntaxat ipso domino Osualdo Episcopo Zagrabiensi perduret. Ad quod se ambe partes sponte obligarunt. Tali etiam firmitate adiecta, quod si prefati Nobiles et incole Regni nostri Sclauonie, uel aliqui ex eis temporum in successu in soluendis huiusmodi decimis prefato domino Osualdo Episcopo tergiuersacione exquisita contumaces essent, prefatasque decimas soluere nollent, vel occasione earum coram nobis, vel alias vbicunque locorum lamentarentur, vel lites suscitarant, rursus et iterato ad solucionem sex denariorum, quos de singulis capeciis Milliorum iuxta limitationem antiquam et etiam nostram de iure soluere debent, reincidant eo facto. Ad quam quidem solucionem sex denariorum nos eos compellere tenebimur, aut Bani vel Vicebani prefati Regni nostri pro tempore constituti, solum vigore presencium, non exspectato alio superinde mandato. Extunc per grauamina opportuna compellere eos et astringere debeant et teneantur; auctoritate nostra presentibus ipsis in hac parte attributa mediante. Super qua quidem disposicione siue concordia litteras fassionales sub